

nas tūm malas, pro libitu ab homine fit electio

19. Quo sensu insolens hoc Liberi Arbitrii vocabulum, ad statum hominis post lapsum in hac vitā considerati, nihilō magis propriē accommodari posse manifestum est, ac ruderibus meris nomen integri alicuius palatii propriē competit.

20. Nimis autem κατὰ φυσικῶς Liberum Arbitrium hac in disputatione, pro ipsā rationis sive intellectus nostri ac voluntatis substantiā, accipitur.

21. Quemadmodum enim Animam ipsam post protoplastorum lapsum, ratione substantia, sicutam tectam mansisse certum est: Ita potentias quoque & facultates ejus essentielles, Intellectum nimirum & voluntatem, quæ nihil sunt aliud, quàm ipsa Anima, quoad substantiam, illesas ac integras mansisse, extra controversiam est positum.

22. Quo respectu hominem etiā in statu corruptionis, liberum habere arbitrium, hoc est, intellectu & voluntate præditum esse, quivis sanus intelligit.

23. Sic nimis etiam laxè Liberi Arbitrii termino in hac disputatione utuntur, qui totius animæ conditionem eo notari arbitrati, ad facultates atque vires potentiæ Animæ eum accommodant: Rationis quidem ad bonum malum-
quo